



Melchior ex nobili & antiqua familia Schönauiorum Rinfeldiæ natus est post ferias Paschales, anno Christi millesimo quingentesimo uicesimo sexto. Patrem is habuit Iohannem Othmarum, uirum prudentem & strenuum, qui Ferdinando Cæsari à consilijs, aliquoties militares ordines duxit, atq; quatuor Rhenensia oppida supra Basileam, Austriacæ ditionis, magna gloria præfectus gubernauit. A tali ergo patre Melchior prognatus, eius consilio à pueris operam literis dedit, atq; artium & linguarum rudimenta Reinfeldiæ & Bruggis Heluetiorum foeliciter didicit. Postea uerò Basileæ cum Simone Grynæo uiro doctissimo

habitauit, atq; ab eo & ex fratre nepote Thomà Grynæo liberaliter in omni genere literarum institutus fuit. Ibi cum aliquandiu uixisset, anno ætatis decimo sexto Tholam Burgundionum à patre mittitur, ut Iuris prudentiæ operam daret, atq; etiam Gallicum idioma perdisceret. In eo loco cum per biennium uixisset, ingens bellum anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto inter Carolum Imperatorem & Franciscum Galliæ regem exortum. Itaque Melchior prima tum militiæ rudimenta posuit, atq; sub Iohanne à Sickingen, qui quinque cohortes Lancigerorum ducebat, incedens, sancti Desiderij oppidi expugnationi interfuit, & hoc modo literarum & armorum studia alternatim profecutus fuit. Cum autem paulo post pax conficeretur, parentis iussu in Galliam ad studia redijt, atq; celebriores Academias, Lutetiam, Aureliam, Bituriges, Andegauiam, & Pictauiam uisitauit, & mediocrem bonarum artium & linguarum sibi notitiam comparauit. Interea uerò Regalem Gallorum curiam inspexit, atque uarios hominum mores, officia, & dignitates diligenter considerauit. Cum autem bellum Smalkaldicum in Germania exoriretur, à patre uocatus domum redijt, atque quæ apud exteros didicisset per occasionem reperijt.